
EPOREDIENSIS EPISCOPI

AD

CLERUM ET POPULUM

EPISTOLA PASTORALIS



ROMAE MDCCCXXIV.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

Superiorum permissu.

ALOYSIUS PAULUS MARIA POCHETTINI

A SERRAVALLE

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS EPOREDIENSIS ET COMES

VENERABILIBUS IN CHRISTO FRATRIBUS, AC FILIIS DILECTISSIMIS, CAPITULO, CLERO, OPTIMATIBUS, UNIVERSOQUE DIOECESIS POPULO

Salutem, et Sancti Spiritus Communicationem.

Perlustrantibus nobis Eporediensis Provinciae regiones, quoties in vernante pueritia amantissimum Patruum fel. recordationis Josephum Octavium Antistitem praeclarissimum invisere datum erat, numquam profecto suspicio animum subiit tantae Sapientiae virtutisque Viro nepotem in Pastorali subsellio, temporis lapsu, fore sufficiendum.

Emenso Studiorum Curriculo, puerorum in Taurinensi Collegio literis vacantium demandata cura, ut in Religionis pietatisque officiis tenellos animos institueremus, hanc nobis obtigisse Provinciam exiguis aequam viribus jam pene gestiebamus, quod inter Vineae Dominicae Cultores adlecti umbratica quiete segnescere prohibebamur.

At vero Superiorum Voluntati obtemperantes, praestantissimo Rerum Spiritualium in Regio Militari Athenaeo Moderatori, (cujus laudibus aliquid addidisse, decerpsisse est) comites adsciti, ut ingenuos adolescentes, ephebosque, qui studiorum labores militaribus ac gymnasticis exercitationibus interpungunt, in avita Religione ad Pientissimi Regis mentem erudiremus, hic tandem nobis sistendum arbitrabamur. Jucundissimum quippe jugiter erit

reminisci, quantum a gravioribus curis levamen officiosa, et cerea adolescentum indoles, augentesque in dies profectus afferrent.

Gaudium, et coronam nostram intueri licebat tyrones, qui regiis sub auspiciis alti educatique, Patriae decus, praesidium et columen suo sunt tempore extituri.

Accedebat amplissimi Praesidis suavissima consuetudo, quem nobis fraterna prorsus necessitudine devinctum aequo jure gloriamur. Eximiis viris, qui sive in re militari, sive in liberalibus disciplinis sublimioribusque scientiis adolescentulos informant, exercentque continuo stipati, et amoenissimi contubernii suavitate recreati, nil ultra appetendum decreveramus.

Aliter visum Deo, cujus in manibus cor Regis est! Infirmitatem nostram munificentissimi Principis voluntas, ad Episcopalem repente dignitatem nominavit, et nil tale cogitantem e litore in salebrosum sollicitudinum pelagum conjiciendum, Romano Pontifici Petri successori instituendum designavit.

Anceps haeret animus, subitoque quatitur pavòre, si eas recogitemus, quae in Divinis Scripturis, et Patrum scriptis passim in Episcopo virtutes, dotesque efflagitantur; ars quippe artium est, et Scientia Scientiarum homines regere. Quid vero si oculos in Antecessorum vitam, et insignia gesta conjiciamus? Recurrit in primis desideratissimi Patrui recordatio, qui tametsi inter caelites nunc agat, prosperrima adhuc fama, eaque numquam intermoritura in Eporediensi Dioecesi fruitur: praeclara ipsius instituta, perpessi labores, animarum zelus summis attolluntur laudibus. Patruum excepit virtutibus insignique prudentia jugiter memorandus Antistes Joseph Maria Grimaldi, sanguinis etiam necessitudine nobis conjunctus, qui inter tot turbidos miserrimorum temporum anfractus Ecclesiam Pinroliensem, et hanc vestram adeo sapienter rexit, ut quanta laetitia Vercellenses Archiepiscopum salutarunt, tanto maerore Pinerolienses, et Eporedienses amissum lamentati sint. Hujus benevolam in nos voluntatem, comita-

temque quovis in adjuncto et experti sumus, et numquam animo excidere permittemus. Lugentis Ecclesiae lacrymas tandem tersit Columbanus Chiaverotti, qui ex Eremo ad infulam evocatus tamquam coelitus delapsus, tanto virtutum nitore praefulsit, tot tantaque ad ovium sibi creditarum tutelam, utilitatemque molitus est ut ad Taurinensis Metropolitanae Ecclesiae regimen evectum, a grege aegre divulsum etiamnum veluti patre orbati rectores ovesque amarissime defleant.

Tantorum Apostolici nominis virorum fulgore veluti obrutus, et exterrefactus, quo tandem animo vastissimum agrum rudis Agricola aratro scindere ausus fuisset, qui praecelsarum virtutum vix umbram queat polliceri? At spectabilium virorum hortationes, et sapientissimi praecaeteris Archiepiscopi Columbani monita, et consilia, quem Parentis loco revereri nobis gloria est, invitos adegerunt, ut oneri ac honori, ut ut minus firmos humeros supponeremus. Divina praesertim in eo emicuit voluntas, quod Episcopale munus in ea nobis commissum est Dioecesi, cujus et ore et fama jamdudum comperta in nos est charitas, et benigna propensio. Infirmitatem eapropter virium erigunt magni Leonis verba: *dabit virtutem, qui contulit dignitatem*. Tenuitatis igitur nostrae conscii, trepidantesque ad vos accedimus Vener. Fratres, et filii dilectissimi, ab eo fortitudinem expectantes, qui potens est ex lapidibus suscitare filios Abrahae.

Amplissima se nobis offert Seges; at praecedentium Cultorum Solertia eradicatis vepribus tribulisque, commisso semini ipsorum sudoribus, velut imbre foecundato incrementum dabit Deus, si Vos in agro elaborando adjutores habuerimus, qui maxima cum alacritate usquedum manum operi admovistis, tantoque pro animarum salute, et Divini Nominis illustratione, zelo aestuatis. Vos primum alloquimur, Ecclesiastici Coetus ornamentum, spectabilis doctrina ac Sanctitate, Canonicorum Senatus, quorum eximia laus est in Ecclesia, quod a Praesulibus vestris numquam dis-

sidentes, imo studiosa comitate ipsos prosequentes, divini operis collaboratores effecti, et Pastoralis sollicitudinis verbo factisque participes, in unitate et charitatis foedere indesinenter permansistis. Ex vestrorum Consiliorum Sapientia, doctrinae ubertate, laboribusque haud modicum adjumentum Nobis in difficillimo regimine ominamur. Fraternam cujusque vestrum jampridem perspectam nobiscum animi conjunctionem arctioribus in dies vinculis roborandam confidimus, ut vere dici queat, Vos *Episcopi aurem et oculum, item et os et cor et animam esse, ne Episcopus sollicitudine multarum rerum urgeatur*. Implete gaudium nostrum.

Suavissimam pariter in vobis fiduciam, venerabiles et optimi Animarum Rectores, repositam jure habemus. Vestra nos non latet indefessa sollicitudo, in custodiendo grege vigilantia, in erudienda plebe doctrina: novimus quantum per vos Christi ovile et amplificetur, et fulgeat. Vos in excolenda Vinea adjutores, quorum presbyterium ita Episcopo est coaptatum ut chordae citharae, pondus diei et aestus portantes, lupos arcentes, evellentes zizania, patres pauperum et orphanorum, sicut Dei ministros in multa patientia, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in charitate non ficta, in verbo veritatis vosmet exhibentes, penitiore amplexamur cordis affectu. Doctrinis variis et peregrinis nequaquam abducti, idipsum sentientes, fidei et charitatis nexu Episcopis adhaerere numquam destitistis. Pacem, et veritatem diligite. Scientiam a charitate ne disjungatis, si enim linguis etiam Angelorum loquamur, charitatem autem non habuerimus, nihil prodest. Nihil sit vobis antiquius, quam ut omnibus omnia facti, sapientibus, et insipientibus debitores vos esse noscatis. Resistite vitiis et erroribus, leniendis vulneribus incumbite, nimiam severitatem devitantes, quae animos abalienat, habenas impietati non laxate, consolamini pusillanimes, corrigite inquietos, infirmos sustinete, omnes verbo et exemplo ad pietatem in-

formate, lux enim Gregis est flamma Pastoris, quem comem esse oportet, eumdemque integrum, officiosum, humilem, sed minime servilem, acrem, et vehementem, sed et mansuetum.

Plurimam etiam opem in ministerio a vobis expectamus venerabiles Sacerdotes, et Levitae, qui estis sal terrae, et lucernae ardentes, dum castigatis moribus, jugi et cum Parochis concordi animarum zelo, tum Canonum observantia, habitu, gestu, sermone bonum undique testimonium reportatis. Absit ut inoperosus vestrum quis, aut negotiis saecularibus implicatus, vel effoeminato otio, vel turpi quaestui indulgens susceptae per manuum impositionem gratiae non respondeat. Vestram dudum gravitatem, religionem, doctrinam demirati sumus, quando in florentiori aetate apud Patruum divertebamus; at illud monitos volumus ne onera gravia, et importabilia super aliorum humeros imponatis, imo illud verbo et opere efficiatis, ut fidelis populus degustet, quam bonus Israel Deus, quam suavis Dominus sit. *Vos estis lux mundi; decet enim Sacerdotem moribus, et vita clarescere, quatenus in eo plebs et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat.* Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet.

Nonnulla in Dioecesi nostra restituta Coenobia gratulamur, e quibus haud mediocris manat in Ecclesiam nostram utilitas. Vos igitur compellamus, religiosi viri, qui saeculo renuntiantes ad perfectioris vitae stadium contenditis, ut levetis manus vestras in sancta; integerrimis moribus, ac proprii instituti disciplina validum, multiplexque subsidium pastoribus allaturos confidimus, dum fidelium veneratione, totiusque Ecclesiastici agminis fiducia, ac benevolentia dignos vos exhibetis.

Messis quidem multa, operarii autem pauci; verum novella exurgunt germina in junioribus Clericali militiae adscriptis in Seminario, quos ut oculi pupillam, filios carissimos, futurum Ecclesiae nostrae fulcimentum et decus conspicimus, et Dioecesis vo-

ta per vitae castimoniam, alacremque in Ecclesiasticis studiis proficiendi voluntatem impleturos confidimus. In sortem Domini vocati saecularibus votis, et corruptelis se valedixisse meminerint, ut certam vocationem, electionemque faciant. Scientiam ab ipsis exposcimus; divinos propterea Codices nocturna diurnaque manu versent: quomodo enim poterunt alios exhortari in doctrina sana, et contradicentes redarguere, quomodo duces erunt caecorum, eruditores insipientium, qui summis vix labiis Evangelicam Ecclesiasticamque doctrinam degustarunt? At scientia inflat, si morum integritas nequaquam consonet: tales quaerimus ad Sacros Ordines promovendos, qui hominibus placere non studentes, interiorem animi puritatem externa etiam modestia, et mundo corporis habitu praeseferant, exquisitam elegantiam, aeque ac desidiosam inconcinnitatem devitantes.

Quantum porro laetitiae nobis non accedit ex Virginum Deo dicatarum Ascetaeriis? Tamquam Columbae ex Arca emissae non invenientes in mundo ubi pes requiesceret, cum ingruente tempestate ejectae de vineis Engaddi, et de Hortis conclusis hac illac in capite omnium platearum dispergerentur, tot inter angustias numquam a data sponso fide defecerunt, statimque ac licuit, ad montem myrrhae, nullo cogente conscenderunt. Dilectum vestrum, accensis lampadibus, prudentes virgines sequimini: saecularia quaeque reformidate. Vestris in recessibus Vos, flos Ecclesiastici germinis, miram in Religiosam, et Civilem Societatem confertis operam, sive dum puellas in Fidei rudimentis, et pietatis sensibus informatis, sive dum regendae in posterum familiae aptas efficitis, domesticisque negotiis, ac officiis, tum manuum labore exercetis, sive dum gemitibus ac precibus vindicem Supremi Numinis iram avertitis, et benedictionum fontes super universum populum aperitis. Proficite vigilanti constantique animo; exite obviam Sponso, ut cum venerit, introire cum eo possitis ad nuptias.

Vos etiam in sinceritate Dei peramanter complectimur, Pro-

ceres, Optimates, Magistratus, Duces, quibus publicae rei administrandae, vel Juris dicundi, vel internae, externaeque securitatis armis tutandae, aut demum studiosae juventutis in liberalibus artibus erudiendae cura est demandata. Novimus quanta vigilantia, prudentia, incorruptaque fide unusquisque impositis fungatur muniis; quanta singulorum ad Religionem inter populos et promovendam et vindicandam sollicitudo. Benignitati vestrae, cujus luculenta tribuere vobis placuit in Nos testimonia, plurimam habemus gratiam, Vos pro Rege legatione fungimini, cujus cum Divina Voluntate omnino consonant vota, indeque auspicamur, vires vestras nostris adjunctas laboribus quamplurimum ad gentis nobis concreditae felicitatem coalituras, si modo vestrae expectationi nostra respondeat infirmitas.

Superest, ut ad vos etiam Sermonem convertamus, filii desideratissimi, quotquot in Dioecesi nostra estis Curae et Sollicitudini concrediti. Mementote, vos Baptismatis lavacro renovatos Gentem effectos fuisse Sanctam, populum acquisitionis. In fide manete et in dilectione, eumque in nobis excipite, cujus dignitas in indigno haerede non deficit, Pastorem animarum vestrarum. Testis est nobis Deus, quomodo cupiamus vos omnes in visceribus Jesu Christi. Maxima sit vobis cura, ut sublatis dissidiis, evangelica ubique pax, et charitas foveatur. Principi, et sublimioribus potestatibus non solum propter iram, sed et propter conscientiam, reverentiam, et obedientiam exhibete; haec est enim voluntas Dei. Sollicitos se praebeant potissimum parentes in recta et Christiana liberorum educatione; inde enim Patriae felicitas et parentum ipsorum jucunditas expectanda: Parochos, Apostolicosque viros, qui pro vestra insudant salute nolite contristare, docilis ipsorum monitis quisque obtemperet, alteque retineat Redemptoris verba: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*. Vigilate, state in fide, deponite iram, abigantur partium studia, indignatio, malitia, blasphemia, turpis sermo. Omnia

vestra in charitate fiant, et copiosa de Coelis Benedictio super vos, et super filios vestros descendet.

Agite interea, Venerabiles Fratres, et filii dilectissimi; Sistamus omnes ante Omnipotentis Dei thronum, orationi instantes simus, supernumque exquiramus auxilium in tempore opportuno, ut det nobis Sedium suarum assistricem Sapientiam, quae nobiscum sit, nobiscum laboret; respiciat de Coelo, videat, et visitet Vineam istam, et perficiat eam, quam plantavit dextera ipsius. Adsit nobis faventissima Deipara in Coelum Assumpta, cujus tutelae nos, gregemque nostrum committimus. Praesens, et futurum deprecemur auxilium ab inclitae hujus Ecclesiae Patronis, invictisque Martyribus Sabino, Besso, et Thegulo; quorum patrocinio freti, vos quamprimum invisere, alloqui, et complecti, fratres, et filii, in Domino speramus.

Interim rogamus vos et obsecramus, ut vestris fulciatis votis, et precibus, quem tanto favore excepturos significastis, ut vestrae aedificationi, et saluti non inutilis efficiatur.

Ascendant ad Deum preces vestrae pro Supremo Ecclesiae universae Patre, et Pastore Leone XII., ut navicula feris agitata fluctibus, ad securitatis portum deducta, coronam justitiae Ipsi repositam a justo Judice consequatur: largiatur Ei Deus integram valetudinem, labefactatas corporis vires restauret, ut ad multos annos incolumis vivat, quaeque in animo habet, ad Ecclesiae bonum venustatemque redintegrandam, salutaria vota valeat feliciter adimplere.

Sine intermissione orate pro religiosissimo Rege Carolo Felice, quatenus quiete temporum concessa, diu illum nobis Sospitem Deus servet, Eique mittat auxilium de Sancto, qui subditorum sibi populorum tanta aequitate, providentia, et consilio felicitati prospicit. Augustae conjugi Mariae Christinae prospera cuncta succedant, mala omnia ab Ea Deus avertat, ut tranquilla in securitate laetetur. Sed et pro Augusta Maria Theresia obsecratio-

nes fundere nequaquam obliviscamini, ut in viduitate sua supernis consolatiouibus Deus Misericordiarum, et totius consolationis recreare dignetur, longaevamque una cum Regali Sobole, tueatur. Piissimam quoque Ducissam Mariam Annam Carolinam, totamque inclitam Sabaudam Familiam sub umbra alarum suarum protegat.

Omnibus denique, qui in Sublimitate sunt, quique Principi sunt a Ministerio, atque felicitati publicae student, gratiarum copiam, et beatam perennitatem comprecamur.

Plura non addimus, ne fastidiosa, et supervacanea oratione de vestra videamur pietate diffiteri. Adventum nostrum ad vos maturantes, atque in medio vestri, tamquam Pater inter Filios, habitare capientes, hisce Apostolicis verbis epistolam claudimus.

De caetero fratres, quaecumque vera sunt, quaecumque pudica, quaecumque justa, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae; si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate, haec agite. Crescite in gratia et in cognitione Domini Nostri, et Salvatoris Jesu Christi, cui gloria, et magnificentia, imperium, et potestas ante omne saeculum.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum Spiritu vestro. Amen.

Dat. Romae extra Portam Flaminiam die 18. Julii 1824. ipso Consecrationis nostrae die.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo P. S. P. A. Magistro

J. Patriarch. Constantinopolitanus Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. et Rev.
P. M. Sac. Pal. Apost. Magist. Soc.